

intellectu statuenda, non solum ut habente veritatem, quod etiam simplici competit, sed ut cognoscere eandem, seu & rem ipsam & simul veritatem, id est rei conceptus conformitatem.

XLIV. Hoc alij dicunt, veritatem subjectivam esse in compositione & simplici notitia: Objectivam tantum in compositione & divisione.

XLV. Hoc igitur iudicio in quo veritatem primò colloca-
mus, mediante etiam in reliquis apprehensionibus ea dici po-
test, quatenus videlicet judicium, aut simile quid parti ipat.

XLVI. Econtra ubi judicium illud, etiam in compositione absit,
nec veritas, immo nec cognitio esse potest, cum intellectus, ni-
hil vere cognoscat, priusquam julicet, ut manifestum in du-
bijs, ubi assensum suspendimus, eo quod ignoremus, an reve-
ra illa extrema etiam in re conjuncta sint, sicut per composi-
tionem apprehenduntur.

XLVII. Et licet in dubijs extrema illa per tertium aliquod
inter se consentire ostendantur: tamen nec hoc aliter fieri
potest, quam per compositionem medijs istius, cum utroq; ex-
tremo vel per divisionem ab altero: ut ita tertia mentis
operatio aliam veritatem non agnoscat, nisi illam, quam in
notitia hac, ut vocant, adhesiva, consistere monstravimus.

XLVIII. Deinceps quidnam veritas illa sit seu quid su-
per actum illum intellectus (quo tamen totum id quod
veritate continetur, non comprehendimus) addat, vide-
bimus.

XLIX. Non absolutum quid reale seu rem & modum
ex naturae rei ab ipso actu distinctum, ut aliqui volunt.

Sene 16. M.
q. 17. cap. 3
d. 19. q. 3.

L. Cum hoc non solum contra autorum precipuorum senten-
tiam, sed & vix intelligi aut explicari possit, quidnam illud
absolutum sit, cum non possit esse separabile actu, nec insepa-
rable: neq; compleat actum: nec presupponat completum.

B 2 Eſt